

pertinentia ad Prædicamenta possunt in recta linea prædicamentali collocari; satis enim est, ut reductiue in Prædicamento collocentur: si enim omnia essent æqualia (teste Augustino in libro suarum confessionum) non essent omnia. Vnde non opus est, ut omnia prædicamentalia; licet inter se sint ordinata; simili, & æquali modo, ordinentur; aliter non essent omnia entia prædicamentalia; sed sufficit; ut genus, species, & individua, in recta linea collocentur: modi autem intrinseci, propriae passionis, & alia huiusmodi, reductiue. Quare propria passio substantiæ ad Prædicamentum substantiæ reductur; & propria passio quantitatis ad quantitatem: & sic de reliquis.

2. Notam.

Secundo notandum: quod subiectum, & propria passio, sunt vna res; & ideo dicuntur idem realiter, & sunt vna essentia; & ideo sunt idem essentialiter: & tamen neutrum est de essentia alterius: quia aliud est esse de essentia alterius: & aliud esse idem alteri essentialiter: nam primum denotat prædicatum essentialiter in primo modo: secundum vero denotat aliquid, quod identificatur cum essentia; quasi in secundo modo. Vnde potest dici; quod subiectum, & passio, sunt simpliciter idem; id est, verè idem: non tamen simpliciter idem; id est, omnimodè: quia non sunt quidditatiue idem: hoc est breuius: sunt idem, sicut duæ quidditates in primo, & secundo modo: non tamen sicut quidditates primi modi inter se: verbi gratia, sicut homo, & risibile; & non sicut homo, & animal: & in hoc secundo sensu intelligitur Doctor quæst. præcedente ad primum, cum negat Proprium esse idem essentialiter essentia subiecti.

1. Conclus.

Dicendum primum. Nulla propria passio, de qua loquimur, ponitur directe in Prædicamento; sed tantum reductiue: hæc est communis inter nostros, & probatur; quia si per se, ac directe, ponitur in prædicamento, erit tanquam species: sed omnis species; quia est scibilis: habet propriam passionem: ergo, vel illa passio, quam habet, non ponitur directe in prædicamento: vel si ponitur: erit processus in infinitum: ergo dicendum; quod tantum reductiue in prædicamento collocatur.

2. Conclus.

Dicendum secundum. Nulla propria passio subiecti realis distinguitur ratione ab illo: hæc est etiam communis in nostra Schola contra Nominales, & partim contra Thomistas: probatur ex quarto Metaph. text. 3. & ex quarto Topicorum capit. 3. vbi dicitur: quod ens, & vnum sunt vna natura, distincta vero ratione quidditaria: sed hæc ratio quidditaria, per quam distinguitur, necessario debet esse a parte rei: igitur a parte rei distinguntur: probo maiorem: tunc quia Metaphysicus demonstrans vnum de ente a parte rei, demonstraret idem de se ipso: nam distinctio per intellectum nihil ponit in re extra. Tunc etiam quia magis distinguitur ens ab vno, quam ens ab ente: sed ens ab ente distinguitur per intellectum: ergo ens ab vno maiori distinctione distinguitur, quam rationis. Igitur, &c.

3. Conclus.

Dicendum tertium. Nulla propria passio rea-

liter propria a suo subiecto distinguitur: sed tantum formaliter positue. Hæc est Doctoris locis citatis: & statuitur contra Thomistas, vbi cumque de hac re tractant: & quoad primam partem probatur primo: nam si oppositum esset verum; daretur infinitus processus in passionibus: ita quod daretur passio ante passionem: consequens est falsum: quia scibilia, quæ de aliquo sciri possunt, ut sunt passionis, respectu subiecti, non sunt infinita: igitur. Prima consequentia probatur: & suppono, quod risibile sit aptitudo quædam ad actum ridendi, & sic de alijs: tunc sic: ista naturalis, & realis aptitudo, per vos d. Thomista, distinguitur realiter a subiecto; & non repugnat subiecto habere illam; ergo subiectum erit capax talis aptitudinis; ergo erit aptum natum recipere, vel producere ipsam: ergo ante aptitudinem dabitur aptitudo in subiecto, & tunc de illa inquiri: an distinguitur realiter a subiecto, vel non: si hoc secundum; standum erit in prima, quod non distinguitur realiter: si primum: fiat idem argumentum: vsque dum deueniatur ad aliquam passionem, quæ realiter non distinguitur.

Confirmatur: circumscripta risibilitate: aut repugnat homini ipsa risibilitas, aut non: non primum: quia passio egreditur a principijs essentialibus subiecti: & ita quia subiectum habet talia principia ordinata ad passionem, quæ est eorum effectus, & ipsius subiecti actus, non illi talis risibilitas repugnat, tunc sic: illud, cui non repugnat aliquis actus, est capax, & receptiuum eius: sed talis capacitas, & aptitudo, est propria passio: ergo etiam per vos, distinguitur realiter a subiecto: & tunc ipsa circumscripta, fiet idem argumentum, sicut prius, &c.

Secundo, sicut se habet passio naturæ intellectualis ad ipsam naturam: ita se habet passio naturæ corporalis, & materialis: sed passio naturæ intellectualis est eadem realiter ipsi: igitur. Probo maiorem: nam natura intellectualis, secluso ab ipsa omni realiter distincto, adhuc est intellectiua, & capax actus intelligendi: ergo talis capacitas, quæ est eius passio propria non distinguitur realiter ab ipsa: igitur, &c.

Tertio, omnis ratio realis, & positua alicui inexistens; præciso, & circumscripto omni eo, quod non est idem essentialiter sibi; est necessario cum illo idem essentialiter: sed circumscripto homine ab omni, quod non est homo essentialiter; adhuc propria passio sibi existit: ergo talis est illi essentialiter, & realiter idem. Maior includit prædicatum in subiecto, & oppositum prædicati infert oppositum subiecti: nam si non est idem essentialiter illi, non inexistit, omni extrinseco secluso: minor ostenditur: nam circumscripto homine ab omni tali extrinseco, vel potest Deus dare illi actum ridendi, vel non: si hoc secundum: ergo Deus non est omnipotens; nec eius potentia infinita: maxime, quia Deus, quando homo actu ridebat, poterat sibi dare, & conseruare actum ridendi pro semper: cum potentia Dei variari, minui, aut augeri, nequeat: si primum: ergo homo potest illum actum

actum recipere: sed omne, quod potest recipere actum ridendi, & ridere cum illo, est risibile: quia risibilitas est quædam aptitudo ad ridendum: igitur talis aptitudo homini realiter identificatur.

Confirmatur: & assumo intelligentiam circumscriptam ab omni re ab ipsa realiter distincta; adhuc ipsa est motiua cœli, vel alius cuius alterius mobilis: igitur motiuitas, quæ est eius propria passio, non est aliquid ab ipsa realiter distinctum. Vel assumo corpus naturale, ut naturale est, & ut includit principia essentialia ipsius, quæ sibi competant in primo modo; in quo signo præcisdimus ab ipso omnes qualitates sensibiles, & naturales: & tunc quæro; an in ista præcissione, corpus naturale sit mobile; an non? Non hoc secundum: quia corpus naturale, ut sic, includit naturam, scilicet, materiam, & formam, quæ sunt principium motus, & quietis, ex secundo Physicorum: ergo illud, in quo sunt talia principia, est capax motus: ergo est mobile: ergo præcise corpus naturale est mobile: ac per consequens mobilitas, quæ est eius propria passio, sibi realiter identificatur.

Quarto (& est ratio Doctoris in secundo distinct. 16. vide hanc, & alias ibi) illud est ponendum in natura (si sit possibile) quod melius est, & nobilius; ex secundo de Generatione text. 59. natura enim semper desiderat, quod melius est: sed possibile est, quod ab vno, & eodem subiecto, egrediantur diuersi actus realiter distincti, absque reali distinctione potentialium, tam inter se, quam ab essentia: ergo hoc, quod est nobilius, & melius, ponendum est in natura: minor probatur: tunc quia sufficit distinctio formalis Doctoris, in qua penitus hæc opinio fundatur; & de qua supra quæst. prima Processualium: tunc etiam quia si hoc non posset fieri, non competeret enti nobilissimo, cui competit per essentiam suam diuersa operari: tunc denique quia non est necesse, quod istæ potentie sint accidentia absoluta, vel respectiua, nec partes essentialia, seu integrales subiecti: sed sufficit, ut sint idem realiter, & ab illo formaliter distinctæ: ut argumentorum solutione patebit.

Vltimo, aliqua propria passio, per oppositum opinantes, est idem realiter suo subiecto, ex Aristotel. quarto Metaphys. capite tertio, ut patet de vno, respectu entis: ergo & omnes: quia non videtur maior ratio de ista, quam de illa.

Dices: ut ipsi dicunt, vnum non ordinari ad operationem; bene tamen passionis limitatas, ut risibile.

Nota.

Contra: nam accidit passioni propriae, ut sic, esse potentiam: & ideo in ratione passionis omnes sunt eiusdem rationis: ac per consequens, si aliqua propria passio tantum a subiecto formaliter distinguitur; etiam & alia; ut propriae passionis sunt, formaliter distinguentur. Ratio autem, ob quam accidit passioni esse potentiam, est: quia passio tantum dicit ordinem ad subiectum; a quo dimanat, tanquam effectus ad suam

causam; ut patet per Doct. supra quæst. 1. ad primum: quæ passio, ut sic, non est potentia formaliter, sed tantum fundamentaliter: & cum potentia formaliter dicat ordinem ad actum; & fundamentaliter, ut est passio, minime; inde accidit passioni, ut passio est, esse formaliter potentiam.

Ad argumenta Nominalium: ad primum nego maiorem: quia omnis inclinatio formaliter a subiecto distinguitur. Sed maiori data, & non concessa: nego minorem: nam passio, ut sic, non est tantum inclinatio subiecti, sed realitas quædam de ipso demonstrabilis, ad cuiusque integritatem pertinet.

Ad secundum nego antecedens: ad probationem nego iterum antecedens: nam passionis entis sunt aliquid posituum, de quibus ens quidditatiue prædicatur: ut in antepædicamentis ex Doctoris mente probabimus.

Ad argumenta pro secunda sententia: ad primum ex auctoritatibus Patrum, & Philosophorum, dico ex Doct. in secundo distinct. 16. littera P. quod naturalis potentia, vel impotentia, quas Philosophus in secunda specie qualitatis ponit, non sunt ipsæ potentie, prout sunt principia formalia operandi: sed agilitas, seu dexteritas; aut inagilitas, seu indexteritas naturalis ex indiuiduali complexione dimanans. Itaque naturalis potentia currendi, quatenus est principium cuius, non est in Prædicamento sui subiecti: ceterum illa sub tali agilitate, ponitur in Prædicamento qualitatis: & in hoc sensu sunt auctoritates illæ intelligendæ.

Ad auctoritates Doctoris, quæ in his Logicialibus continentur; ut est illa, quæ habetur quæst. subsequenti ad primum, dico, quod eodem modo intelligi debent: risibile enim, ut ait Gadius Bononiensis quodlib. quarto sumitur, vel pro facilitate ridendi; ut patet in facilliter ridentibus; vel pro aptitudine ad ridendum: hoc secundo modo loquimur nos in conclusione: Doctor autem loquitur primo modo. Vel potest dici: quod loquitur secundam communem opinionem antiquorum.

Ad alias auctoritates ex primo Metaph. & ex Prologo sent. dico: quod passio capitur dupliciter; scilicet, pro accidente communi, & pro passione scibili: primo modo loquitur ibi Doct. loquitur enim de illis passionibus in nobis, quibus diuina attributa correspondent: ut sunt misericordia, iustitia, sapientia, &c. quæ in nobis accidentia sunt communia, & realiter cautata: non vero loquitur de passione scibili, de qua nos loquimur.

Ad secundum distinguo maiorem: habet instrumentum proximum a se realiter distinctum: nego remotum, concedo maiorem: & nego consequentia: verbi gratia, ignis habet instrumentum proximum, nempe potentiam calefaciendi; & hæc est eadem realiter cum illo: habet etiam instrumentum remotum, quod est calor; & hic ab eo realiter distinguitur. Vnde in fornace Babilonis Deus non impediuit in igne potentiam calefaciendi, sed solum calorem.

Ad primum Nominalium.

Ad secundum.

Ad primum pro secunda sententia.

Ad secundum.

Ad

Ad tertium. Ad tertium dico cum Doct. in secundo distinct. 16. littera A. quod potentia sumitur; aut prout est principium operandi: & vt sic, vel est actiua, vel passiva; aut sumitur contra actum; hoc secundo modo vera est maxima: nam non solum actus, & potentia sunt eiusdem generis, sed etiam sunt eiusdem speciei, & indiuidui: vt Petrus, qui in potentia erat substantia, quando actu est, etiam est in genere, specie, & in indiuiduo substantie: vt primo modo maxima falsa est: nam anima est in potentia ad scientias, & tamen non est qualitas: similiter ipsa est suarum passionum productiua: & tamen non est accidens: quare nihil concludit argumentum.

Ad quartum. Ad quartum respondeo cum Doct. in primo dist. 6. quod distinctio illa est ab extrinseco, & a posteriori: & ideo non requiritur; quod tanta sit distinctio in potentijs, quanta est in actibus: quia cum non dependeat potentia ab actibus, quoad esse; ita nec quoad æqualiter distingui. Vide Doct. in primo vt supra; & in secundo dist. 1. quæst. 6. & dist. 16. & 24. & in tertio dist. 14. quæst. 1. in quarto dist. 13. quæst. 1. Art. 3. & quodlibet. 13. Art. 3. & 17. Art. 3. & alibi diuersimodè hanc maximam glossantem.

Ad quintum. Ad quintum, maior est vera de causa verè & propriè, efficiente; falsa vero de causa efficiente extensiuè, & large: de quo latius Articulo sequente. Vide Tromberam quarto Metaphys. quæst. 5. §. quantum ad tertium.

Ad sextum. Ad sextum nego consequentiam: nam licet subiectum ordinetur ad esse, & potentia ad operari: non oportet, vt tanta sit distinctio inter principia: sicut inter principia: vt ad quartum diximus.

ARTIC. II.

An de potentia absoluta possit subiectum esse sine passionibus?

PROPTER propositionem illam Doctoris, qua probat Proprium necessario, & semper inesse subiecto: videlicet, non est possibile causam necessariam, & immediatam alicuius poni; nisi ponatur effectus: mouetur Articulus iste: An ita sit vera illa propositio, vt per Dei potentiam falsificari non possit: in qua re est prima sententia multorum Thomistarum, quos citat & sectatur Pater Barnabas Gallego controuers. 19. qui ex distinctione reali, quam ponunt inter passionem, & subiectum; & ex eo, quod asserunt passiones esse qualitates; consequenter volunt subiectum (saltem de potentia absoluta) posse esse sine passionibus: quæ sententiam probant primo: omne prius, in quantum prius, est separabile à quocunque posteriori, à quo essentialiter non dependet: sed subiectum est prius sua propria passione; & ab illa essentialiter non dependet: quia nullum prius potest à posteriori essentialiter dependere: ergo. Maior probatur: tum quia omne independens est separabile per diuinam potentiam, à quocunque, à quo essentialiter non dependet: ni-

2. Sentent.

1. Argum.

hil enim est ab alio inseparabile, nisi propter aliquam necessariam exigentiam, quæ dependentiam importat. Tum etiam quia quidquid Deus potest pro aliquo signo, vel instanti, sine alio conseruare, potest & pro quocunque: cum æque sit semper potens: sed prius, in quantum prius, est in aliquo signo, in quo non est simul cum posteriori: nam in illo priori naturæ, quo subiectum præcedit passionem; vel passio est, vel non est, si primum: ergo iam simul sunt, quod nemo concedit: si secundum: habetur intentum. Minor principalis patet: quia causa præcedit effectum: sed subiectum, secundum Scotum, locis Articulo præcedente citatis, est causa efficiens passionum: ergo.

Secundo: potentia æque infinita, & æque potentes, si vna est feribilis in aliqua plura; etiam & alia: sed potentia intellectiua Dei, & eius potentia productiua, seu conseruatiua, sunt æque infinita, & æque potentes, nec se excedunt; & potentia intellectiua est feribilis in subiectum, & passionem: cum sint entitates à parte rei distinctæ, & vna altera prior: ergo sequitur necessarium, quod Dei potentia productiua, & conseruatiua, poterit in subiectum tantum; & non in passionem.

Tertio arguit Pater Sanchez: non implicat subiectum esse sine passione: ergo non est Deo denegandum; vt hoc faciat: probatur antecedens: nam si implicat, vel est: quia passio est de essentia subiecti: & hoc non: quia passio supponit subiectum in suo esse constitutum: aut quia subiectum est causa materialis, & finalis passionis: & hoc etiam non impedit: nam materialis causa potest esse modo sine albedine, modo sine nigredine: & finalis causa potest esse sine ordinato ad finem, quando tale ordinatum est posterius ipso fine: aut est, quia est eius causa efficiens per emanationem: & hoc etiam non obstat: nam comburere dimanat ab igne: & nihilominus impediuit Deus; ne flueret informace Babilonis: vbi fuit ignis absque combustionem: ergo cum ex nullo capite implicet, poterit Deus facere, vt sit subiectum sine passione.

Quarto: ad quamcunque causam efficientem, siue Physicam, siue Metaphysicam, concurrat Deus ad productionem effectus: ergo etiam concurrat cum subiecto ad productionem passionum: sed Deus, sicut libere præstat suum concursum; libere poterit eum subtrahere: ergo, &c.

Quinto, in fauorem huius sententiæ sic argumentor à paritate rationis: sicut se habet subsistentia in sui causalitate ad naturam singularem: ita se habet propria passio ad suum subiectum: sed in mysterio Incarnationis Deus concurrat cum natura ad productionem realitatum aliarum; quin concurrerit ad productionem subsistentiæ: ergo. Maior probatur: quia vtrobique est eadem causalitas Metaphysica per emanationem: & subsistentia problematice à Doct. defenditur esse realitas positiva: & in multorum opinione non distinguitur realiter à natura: ergo paritas rationis genere videtur. Quare dicendum est;

2. Argum.

3. Argum.

4. Argum.

5. Argum.

est; quod Deus potest facere subiectum esse sine passione: vel quod non potuerit facere naturam esse sine propria personalitate; etiam si eam nunc dimittat: quorum primum est hæreticum: & secundum non potest cum ratione negari.

2. Sentent. Doctoris. 1. Nos.

Secunda sententia, sicut vidimus Artic. præcedente, est Doctoris ex illis locis collecta: pro qua notandum primo, ex eodam in præsentia; quod subiectum est causa necessaria, præcisa, & innata sua cum passionum: dicitur causa necessaria ad excludendum omnem contingentiam, tam ex parte suæ causalitatis, quam ex parte effectus: ex parte suæ causalitatis, vt à nullo impediri possit: sed ipsa posita necessario sequitur eius actio causatiua: ex parte vero effectus; vt ab alio, quàm ab ipso subiecto passio causari nequeat: si enim Deus posset causare insensibilem in homine: tunc homo esset insensibilis, & non rationalis: quia causa talis effectus, scilicet Deus, est contingens mere potens causare, vel non causare: ac per consequens non esset conclusio demonstrabilis simpliciter, & potissime necessaria. Dicendum est igitur quod subiectum est vtroque modo causa necessaria respectu suarum passionum. Dicitur quoque causa præcisa, & adæquata, ad excludendum omnem concursum cuiuslibet cause partialis. Tandem dicitur causa in mediata ad excludendum causam remotam, seu vniuersalem, modo, quo necessitatem explicauimus: non enim concursum Dei ad efficiendas passiones excludimus simul cum ipso subiecto.

2. Not.

Secundo notandum ex Doct. locis citatis, & clare in hac quæst. in solutione ad tertium; quod causa efficiens est duplex: alia Physica, & quæ efficit per transmutationem, seu motum, vel mutationem alia Metaphysica, quæ sine tali transmutatione, motu, seu mutatione, operatur: & hæc adhuc est duplex: alia, quæ verè, & propriè, efficit, vt Deus, quando creat; & intellectus in productione intellectus: & similis causa conuenit cum physica, in hoc, quod à se effectum realiter distinctum producit, etiam si sine transmutatione producat alia vero quæ large, & extensiuè, efficit; & hæc distinguitur à præcedenti, quia illius effectus ab illa realiter distinguitur; illius vero tantum formaliter, & ultra: quia illius causalitas dicitur verè, & propriè, actio; illius vero minime; sed quædam simplex pullulatio, emanatio, seu ebullitio: quia sequenti verba per ordinem se habent: videlicet, dici, nasci, germinari, generari, produci, originari, pullulare, seu emanare, aut ebullire. Itaque infimum est dici, & supremum est pullulare, emanare, seu ebullire: idem enim hæc tria important, quare valet producitur: ergo ebullitio: sed non è contra, & talis ebullitio est actio, qua passiones à subiecto producantur.

3. Not.

Tertio notandum ex Doct. in 2. dist. 16. littera L. quod Anima respectu suarum potentiarum, & subiectum respectu suarum passionum, in primo instanti naturæ, sunt naturæ tales: id est, conseruatiua & essentialia præcise: in secundo autem instanti sunt operatiua, id est, habent potentias, quibus operari possunt. Itaque vt iam supra q. 1.

vniuersi diximus; & clarius ad nostrum propositum loquamur: in primo instanti intelligitur natura communis cum sua existentia communi: in secundo intelligitur pullulare passiones de ipsa demonstrabiles: in tertio concipitur pullulare singularitatem, & existentiam singularem, quæ verè extra causas existit, & terminat actionem realem sui productiuam in ultimo tandem intelligitur producere subsistentiam, qua in esse personæ constituitur: itaque passio sequitur ad subiectum adhuc non habens esse perfectum extra causas: & ideo est de eius perfectione, & integritate: lecus de subsistentia dicendum erit.

Conclu.

Dicendum: per nullam potentiam potest esse subiectum sine suis passionibus proprijs. Hæc est Doctoris, & suorum communiter, ac etiam Caietani 1. parte quæst. 54. ar. 3. & Soncin. octauo Metaph. quæst. 1. ad quartam, quam late probat Ioannes Canonicus primo Phys. quæst. 4. art. 2. & præter fundamentum de identitate reali inter subiectum, & passionem, quod validissimè est: quia implicat aliquid esse sine illo, quod est idè sibi: & prætermisissimè etiam argumentis Canonici quæ apud ipsum videri possunt: hæc vniua ratione ex tertio notabili desumpta illam ostendit.

Implicat, à parte rei aliquam naturam habere esse sine propria singularitate: nam destructa singularitate, necessario destruitur natura: ergo, à fortiori implicabit subiectum esse sine sua passione: antecedens patet: nam singularitas est de integritate naturæ, quatenus habet esse extra causas: quia actio agentis ad naturam singularem terminatur, tam quoad productionem, quam quoad conseruationem. Consequentiam probat: nam propria passio prius inest naturæ, quam singularitas: ergo si sine ista natura stare non potest per aliquam potentiam, multo minus, & sine illa: antecedens probat: nam propria passio vel dimanat à subiecto post singularitatem: vel ante, vel simul cum illa. Si ante, habetur in tentum. Si simul: contra, quia causa naturalis pullulatiua diuersorum effectuum pro diuersis instantibus naturæ, in eodem instanti necessario pullulabit effectus eiusdem rationis, & non diuersa: & cum passio, & singularitas, sint effectus diuersarum rationum, non possunt pro eodem instanti produci, seu pullulare: vel si pullulant, erunt effectus eiusdem rationis.

Si primum detur contra, quia tunc propria passio demonstraretur de re singulari: & scientia esset de singularibus per se primo: quia scientia est notitia necessaria inherentiæ passionis ad subiectum, per ipsius subiecti definitionem: ergo sciendum est necessario passionem ante singularitatem dimanare: ac per consequens si subiectum sine singularitate stare nequit, nec etiam sine passione.

Ad primam.

Ad argumenta ad primum dico maiorem esse veram de illis, quæ sunt priora prioritate temporis, vel naturæ, & realiter distinguntur, accidentaliter quæ dependent: sicut contingit inter substantiam, & accidens commune: secus vero quando inter prius, & posterius, datur solum distinctio formalis, & dependentia alteritatis for-